



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quòd merces iusta pro labore, non est furtum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ciunt, & carius volunt extrudere, quàm par & æquum est, 1. Theff. 4. ne quis supergrediatur aut circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus. Tales etiam fures sunt mercenarij, qui plenam recipiunt mercedem à Dominis & opera tamen infideliter perficiunt. Scriptura iubet, ne Domini illis retineant suam mercedem, id est pro peccato non infimo censetur, vnde est diuerso si iniuste recipiunt operarij mercedem suam, ac negligenter expediunt opus Dominorum suorum, fures sunt coram Deo. Omnia hæc supradicta significantur per hoc verbum, furari, & in se comprehendit quicquid committitur contra iustitiam erga proximum nostrum, siue sit in Spirituali aut seculari causa.

2. Secundò, quando quis licitum suum præmium, pro laboribus suis accipit ad sustentandos liberos & familiam, hoc non debet reputari inter species furti. Matth. 10. Dignus est enim operarius mercede sua, maximè si opus aut officium est licitum. Vnde ad Ephes. 4. laborat quis manibus, vt habeat quod bonum est, id est, pro sua necessitate, & pueris, vxore & familia, deinde vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti: hæc duæ sunt causæ, propria scilicet necessitas, & paupertas, quæ concedunt nobis, vt propria habeamus & diuitias, non vt inde quis superbiat, voluptuetur, ludat comessetur, inebrietur, aut cum scortis dilapidet, sicut prodigus ille filius Lucæ 15. Deus enim tandem rationem exiget à te, quomodo vultus fueris bonis tuis concessis, & dicet, Redde rationem villicationis tuæ, Mat. 18. Sunt porro tria genera eleemosynarum, ad quæ tenentur ditiores. Primum spectat ad ministerij ecclesiastici conseruationem, Luc. 10. hoc genus eleemosynarum maximè est necessarium. Et Christus inquit, Qui dederit minimo alii, cui calicem aque frigide, in nomine meo, non perdet mercedem suam, & extant in prophetis amplissima promissio.

Tria
Eleemosy-
narum ge-
nera.
Matth. 10.

promissiones, Malac. 1. Hagg. 1. Secundum genus est, largiri egenis, cognatis, parentibus, fratribus aut alijs propinquis Sic ad Tim. inquit Apostolus: Discat primum exercere pietatem ad propriam familiam, & vicem reddere parentibus: ita si quis suos & maximè domesticos non curat, ideterior est infideli, quia cognatis dupliciter obligati sumus: naturali propinquitate, & propter commune præceptum de iuuandis egenis. Tertium genus est iuuare alienos, qui scilicet nobiscum viuunt. Gal. 6. bonū operemur ad omnes maximè tamen ad domesticos fidei. Sic Deuter. 15. fit mentio de illis hominibus pauperibus, qui nobiscum habitant.

Tertiò, quoniã Apost. ad Eph. 4. prohibet deinceps furari, ideò maximè vult alienum reddi. Nam hæc regula est vera in genere de omnib. qui scientes & volentes aliena possident & retinent, & habent vndè reddere possint. Peccatū non remittitur, nisi ablatum restituant. Ideò tenetur quis ad restitutionem, licet impossibilitas habeat excusationem, attamen voluntas debet adesse: nam quandiu retinetur scienter res aliena, tandiu præceptum Domini violatur, Non furtum facies. Ideò siue sit iniustum lucrum, aut pecunia per fraudem & dolum acquisita, vel iniusto titulo corrupta, teneris ad restitutionem. Insuper quoniam scriptura ait Eccl. 41. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri magni & preciosi: Igitur qui furantur famam bonam proximo suo, peiores sunt furibus rerum aliarū, quia rem nobiliorem (id est, famam bonam) furantur, & ideò vocat Apost. detractores, Deo odibiles homines. Et, Prou. 22. melius est nomen bonū, quàm diuitiæ multe. Si igitur tenetur ad restitutionem, qui rem minùs preciosam alicui furatus est: ergo etiam in maiori tenetur reuocare verba, & restituere honorē cui detraxit: Quauis in his quatuor secundum Gersonē nunquā

I I.

I I I.

3.

aut